A Letter of Mr. John Davis *Miniſter of little* Leak *in Nottinghamshire to one of the F. of the R. S. concerning the* Wurtemberg Engine *Dated 26th. November.* 1684.

QUUM elapſa nuper æſtate eſſem Londini, in manus incidit Tractatus quidam inſcriptus *Sipho Wurtembergicus*, ſive Sipho inverſus Cruribus æquealtis fluens & refluens hactenus inauditus, De hac Machina magnifica prædicat Author prædicti libelli, aſſerens eſſe unam è duabus Machinis Aquariis, cui mundus parem non habet, ſi & utilitatem, & raritatem, & artificium ſpectes, ſed Lectorem orat, ut ignoſcat Patrono ejus Sereniſſimo quod myſterium ſtructuræ ejus ſibi ſervet. Dum itaque encomium hoc tam caræ, utilis, & artificioſæ Machinæ legerem,& de Fabricatione ejus ſerio cogitarem, in mentem venit, quomodo inſtrui poſſit Sipho, ut quæ de Wurtembergico illo narrantur, præſtaret. Habens ergo in manibus, dum Tractatum illum evolverem, Syphonem quendam Vitreum, me ad inventionem cœlati prædicti Siphonis artificii applicui, & poſtquam Syphonem meum artificio eo, quod tunc mihi occurrebat, diſpoſueram; erexi eum ſupra duo Vaſcula quantum potui perpendiculariter; dumque in eo ſitu ſiſteretur, affudi in unum ex Vaſculis aquam, donec orificium Siphonis paululum ſuperaret, & ſtatim in alterum Vas ut expectabam effluebat aqua: tunc evacuato illo Vaſe in quod primo aquam infuderam in alterum effudi, & immediate aqua iſta refluebat in prius Vas. Hoc dum in prima lectione prædicti libelli occupatus eram, expertus ſum, & licet non auſim de Invento hoc gloriari, aut Artificium hujus Syphonis mei cum illo Wurtembergico, quod mihi adhuc (in quantum ſcio,) ignotum eſt, comparare: tamen ſi utilitatem ſpectemus, cum eo certare poſſe (præſertim ſi addatur ei Inſtrumentum quoddam, modo quodam peculiari à me excogitato,) non multum dubito, &c. *The De-*